



**R**atbodus pietate & doctrina apud Hollādi-  
 os nulli secūdus extitit. Itaq; cum sedes Ultra-  
 iectēsis uacaret, ipse ob uirtutes eius loci decimus  
 quartus episcopus electus est. Huius p̄sulis tem-  
 pore Nordmanni ex Dania progressi inferiorem  
 Germaniam uastarunt, & Ultraiectum muris so-  
 æquatis ruinis deforme reddiderunt. Itaque Rat-  
 bodus consilio inuito Dauentriam migrauit. Cum  
 autem Dani postea ab Imperatore Arnolpho pro-  
 fligarentur, Ratbodus iterum ob loci opportuni-  
 tatem Dauētria Ultraiectum rediit. Ibi Ecclesiam  
 suā restaurando, & uerbo Dei instituendo magnū  
 nomē comparauit. Erat enim regum imaginibus

clarus, miraculis simul & fatidico spiritu magnus, præterea Græcarum & La-  
 tinarum literarum iuxta eruditus. id quod ipsius Syluæ utroq; genere scriptę  
 arguunt, quæ adhuc extant. Cum hoc modo diu magna laude præfuisset, tan-  
 dem moriens, Baldericum cognomento Pium dictum, uirum literis & belli  
 artibus insignem, qui eam urbem iterum muro cinxit, successorem habuit, an-  
 no Christi 890. Lampertus Hortens. rerum Ultraiect. lib. 1.